

BRABANTIA ET GELDRIA.

Continet tabula ista Brabantiam, cuius termini sunt ab oriente Mosa fluuius, ab occidente Scalda fluuius & Hannonia: Holandia à septent. & comitatus Namurci à meridie inter Rhenum & Mosam comprehenduntur ducatus Cleuens, ducatus Geldrie, ducatus Iuliacensis & ducatus Limpurgensis. Ducatus Limpurgensis ab Henricis imperatoribus erectus cito defecit, additusq; est ducati Geldriae. Anno uero millesimo ducentesimo nonagesimotertio captus dux Geldriae in bello à duce Brabantiae, pro sui liberatione magnam partem de ducatu Limpurgensi dedit duci Brabantiae. Comitatus Geldrie initium sumpsit anno salutis 935. Postea anno Christi 1329. factus est ducatus per imperatorem Ludouicum. Quo anno & comitatus Iuliacensis dicitur factus marchionatus, ac deinde post triginta annos, erectus in ducatum. Ducatus uero Bergensis seu Montensis primum fuit comitatus, ac deinde factus est marchionatus per Carolum quartum, cuius filius Ventzeslaus paulo post marchionatum sublimauit in ducatum. Metropolis illius ducatus dicitur esse Deuselberg, è regione Geldriae situm habens. Dominium Cleuense in concilio Constantiensi, anno scilicet Christi 1417. surrexit in ducatum. Ducatus Brabantiae successiue multos & uarios habuit dominos. Ab initio fuit sub duce Lotharingiae. Deinde anno Christi 1106. Henricus quintus tradidit illum dominis de Louanio. Et cum illorum posteritas quoque deficeret, rursus peruenit ad Lotharingios. Cumq; dux Iohannes anno Christi 1355. sine uirili semine decederet, filia eius Iohanna ducto marito Vuceslao Bohemo, illoq; mortuo, ducatu praefuit 22. annis, post cuius obitum, sororis suae nepos nempe Antonius, Philippi ducis Burgundiae filius, propinquior haeres successit in ducatu. Et cum is quoq; sine uirili semine hinc migraret, fratris sui Iohannis ducis Burgundiae filius Philippus nomine, factus est dux Brabantiae, anno scilicet 1434. Subiugauit & Holandiam atque Selandiam dominio suo Huic successit Carolus filius eius Burgundiae dux, cuius filiam Mariam Maximilianus imperator duxit uxorem, factusq; est per eam dux Burgundiae, dux Brabantiae, comes Holandiae & Selandiae &c.

Locorum quorundam huius tabulae interpretatio.

Colonia agrippina	<i>Coln</i>	Traiectum superius	<i>Mastricht</i>
Aquisgranum	<i>Ach</i>	Traiectum inferius	<i>Vtrecht</i>
Iuliacum	<i>Gulch</i>	Mechlinia	<i>Mechel</i>
Leodium	<i>Lutich</i>	Antuerpia	<i>Antorff Antwerp</i>
Hannonia	<i>Hennegon</i>	Louanium	<i>Loeuen</i>
Nouiomagum	<i>Newmegen</i>	Bruxella	<i>Brussel</i>
Tongari	<i>Tongeren</i>		